qui quos ΗΤΕΡΟΜΗΚΕΙC, id est parte altera longiores. Est enim
parte altera longior numerus quicumque unitate tantum lateri crescit ad-
iecta, ut sunt vi. scilicet bis iii. vel xii. tres quater et consimiles. Al-
teriore vero parte longior est qui sub duobus numeris huiusmodi continetur.
Quorum latera non possidet unitatis differentia, sed aliorum quorumcumque numerorum,
ut ter v. vel ter vi. vel quater viii. Quoddam enim longitudine in pro-
lixiorem modum porrecta nimio ampliore parte longior dicitur. Cur
autem parte altera longiores numeri dicantur, superius iam dictum est. Quadrati
vero quoniam aequam latitudinem longitudini gerunt, propter longitudinis
vel eiusdem aptissime vocabuntur. Ut bis ii. ter iii. quater iiii. et ceteri.
Parte altera vero longiores quod non eadem longitudine tenduntur, alteri quodam
modo longitudinis et parte altera longiores vocantur.
Omne autem quicquid in propria natura
substantiaque est immobile termina-
tum diffinitumque est. Quippe quod nulla variatione mutetur nec esse
desinat nec possit esse quod non fuit. Ad hoc unitas sola est, et quae uni-
tate formantur comprehensibilis ac determinatae et eiusdem substantiae est numeri.
Et alii sunt vel quae ab aequalibus crescunt et quadrati vel quos ipsa
unitas format, id est impares. At vero binarii et cuncti parte altera
longiores quia a finita substantia discesserit, variabilis infinitaeque substantiae
nominantur. Constat igitur numerus omnis ex his quae longe disiuncta sunt
atque contraria, ex imparibus scilicet et paribus. Hic enim stabilitas, illic
instabilis variatio. hic immobilis substantiae robur, illic mobilis permutatio.
hic definita soliditas, illic infinita congeries multitudinis. Quae
res cum sint contraria, in unam tamen quodam modo amicitiam cognatio-
nemque miscentur, et illius unitatis informatione atque regimine unum
corpus efficiunt. Non igitur inutiliter neque imprudenter quidam
de hoc mundo deque hac communi rerum natura ratiocinabantur. Hanc
primam totius mundi substantiae divisionem fecerunt. Et plato quidem in
timeo eiusdem naturae et alterius nominat quicquid in mundo est. Atque illud in
sua natura permanere putat individuum inconiunctumque.